

vilius Lauretanus, Petrus Zenus, Marinus Molinus, Paulus Lauretanus, Laurentius Maurus, Nicolaus Contarenus, & Antonius Condulmarius. Quatuor quoque præter illas Belgarum Ducas nomine triremes per eos dies instruxerat, quæ & ipsæ patricios ex Veneria, Contarena, Lauretana, & Georgia familia præfectos habuere. Totius classis imperium (tam enim Gallicæ illæ, quam Eugenianæ in Turcos moturæ erant) Alovilio Lauretano est datum: qui cum Condulmario Antistite, omnibus prosperam navigationem prosperumque successum precantibus, domo profecti in altum abidere. Peropportune Christiana classis in Hellespontum venit. Forte acciderat, ut Amurathus Ottomanus, Turcorum Rex, per eos dies ex Europa, filio ad Salonicem relicto, ipse (ut dicitur) Genuensium opera in Asiam transfretasset, quo trepidissimis revocabatur nunciis. Constans fama erat, Caramanum Regem ingentibus in eum copiis movisse. Tum vero Asiae rebus compositis, quum in Europam transire tentasset, comperit Hellestonti angustias a Pontificia classe infessas attentissime custodiiri: feceratque ea res spem maximam, fore ut immanissimus hostis a suis exclusus aliquam ingentem in Europa cladem per absentiam adiret. Percrebruerant ad id rumores, Ladislaum Polonum, tripartito copiis Danubio tractatis, ferociter in Turcos qui in Europa erant, movisse. Tenuit aliquandiu ea expectatio: demum sub exitum autumni cognitum est, trecenta Christianorum millia cum vi Turcorum incredibili conflixisse: pugnatumque a prima diei hora ad vesperam: fortunaque neutro inclinante, utrinque datum fuisse signum receptui: duodequadraginta Turcorum millia eo prælio cæsa: Christianorum decem: in quibus proditum est memoriæ, Gallum hominem inter suos populares illustrem, corpore & animo prævalidum, cum trecentis equitibus per confertissimas hostium catervas ad Othomani præsentiam (qui jam ex Asia ad suos trajecserat) pervenisse: in eumque fortiter inventum, conto prius, inde gladio graviter percussisse. Et quia aureo erat paludamento ornatus, creditus vulgo est

Ladi-